

*g.* B. c. D.

DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM,

De

HARMONIA  
PRÆSCIENTIÆ DIVI-  
NÆ CUM CONTINGEN-  
TIA RERUM,

Sub MODERAMINE

VIRI ADMODUM REVERENDI

Dn. M. JOH. Vunsterg/  
Philos. Pract. & Hist. Profess. Regii,  
ac Pastoris in Lundio/

PRO LAUREA MAGISTERII  
& Privilegiis reportandis,

Publicæ disquisitioni offert

MATTHIAS LIMANDER,  
Helsinf. Nylandus.

Ad d. 8 Dec: Anno 1706 in Aud. Max.

---

Aboe, Impr. apud Jo. WALL.

Illustris Stemmati Amplitudine  
Generosissimis atque opti-  
mæ Speci

ADOLESCENTULIS,

DN. JOHANNI

CREVDEZI

DN. SVANTE

CREVDEZI

Liberis Baronibus ac Dominis  
De Sippula/ Albborsfors/ & Båtå-  
järfsvi/

SALUTEM ET PROSPERA QUÆVIS!

# ILLUSTRISIMI DOMINI!

**G**rimen imprudentiae fortè involvit, quod nomina Vestra, GENEROSISSIMI BARONES, informi huic ac rudi opellæ Academicæ præfigere ausim; siquidem natura Vos altioribus destinavit, quam ut levidensium harum pagellarum aspectu capiamini; Verum tamen, cum mos penes literarum cultores non nuper obtinuerit, ut PATRONOS, queis fœtus ingenii sui sacrent, quærant; etiam memet veniam facile mansuram, quod VOBIS, ILLUSTRISIMI BARONES, hanc rudi ac jejunâ minervâ elaboratam dissertationem offerre sustinuerim, firmiter confido; præsertim cum non sim nescius, Vos, non exiguo literarum studio quoque teneri. Excipite igitur GENEROSISSIMI BARONES, serenâ fronte tenues holce

hosce manipulos, metimini hoc officium non muneris pretio, quod vile, sed submissâ voluntate, quâ in Vos nulli secundus ero. Interea velit summum Numen Vos incolumes in longam annorum seriem conservare, & virtutibus generofâ mente dignis, in ingens ILLUSTRISSIMORUM PARENTUM solamen, in coruscum INCLUTÆ FAMILIÆ splendorem & in VESTRUM IPSORUM decus insigne ex alto beare, sic vovet

## VESTRÆ GENEROSITATIS

*Humilimus cliens*

Matt. Limnander.



ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΗ !

§. I.



**T**perperam nimis, ob difficultatem capiendi, quā cum certitudine ac intalibilitate divinæ præscientia consistere queat contingentia rerum, in asserendâ hâc, illam inficiatur Tullius, cum lib: de natura Deorum scribit: *Nihil est tam contrarium rationi & constantiae, quam fortuna: ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat, quid casu & fortuito futurum sit, si enim scit, certè illud eveniet: si non certe evenies, nulla fortuna est: est autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.* Ita ad defendendam præscientiam Divinam, rerum contingentiam negant

A

alii,

alii, & ab illa his quandam necessitatem  
 adferri crastè, insulè & erroneè ad-  
 struunt. Quod cum maximè inten-  
 dunt Calviniani, quò, etiam hāc ipso-  
 rum hypothesi superstructā, suum, de  
 absoluto reprobationis decreto, horri-  
 bile dogma redderent ratum. Sed quæ  
 absurdā parit hæc falsissima hypothesis,  
 vident omnes, qui non *cerebrum in cal-*  
*caneo & peponem in corde gerunt*. Pericli-  
 taretur enim sic libertas humana, DEUS  
 præscientiā suā imponeret necessitatem  
 peccandi creaturis rationalibus, quam  
 declinare illæ haud valerent. Unde jam  
 nec laudandus quisquam propter bona,  
 quæ egerit, nec propter mala arguen-  
 dus esset; cum ita quilibet egisset, quo-  
 modo ad agendum à divina præscientia  
 impulsus esset: ac consequenter, nemo  
 præmio, nemo etiam pœnâ foret di-  
 gnus; cum qui benè egisset, non ex vir-  
 tutis amore, nec qui malè, ex animi  
 improbitate; sed uterque, ex occulto &  
 inevitabili divinæ præscientiæ influxu  
 egis-

egisset: atque ita caderet profectò honestorum & turpium, virtutisque & vitiī discrimen; omnisque adeò morum doctrina nulla, ac planè nequicquam foret: Denique, nec virtù humanae ratio amplius constare posset, quoniam ita quisque animo recolens istam præscientiæ divinæ vim, haud dubiè labori se esset subducturus, cui alioqui ratione officii incumberet, ratus se nec mutare posse, quod à DEO esset præscitum, nec efficere omnino, quod prævisum haud esset, & quæ sunt id genus alia absurdia. Consequitur ergò assertum sanioris Philosophiæ Doctorum firmo stare tali, qui negant præscientiam divinam inferre rebus absolutam necessitatem, verum contingentiam rerum quam maximè posse consistere cum infallibili veritate præscientiæ divinæ. Ad quorum dictum egomet hoc mihi Theina ex consensu Ampliss: Ord. Philos. suscepi per tractandum, ratus apprimè dignum, cui operarer. Si interim B. L. singula

heic minus accuratè sunt enodata, id  
temporis angustiæ velis imputatum.

## §. II.

Quod, scilicet, nec libertas humana, re-  
rumque ex eâdem profectarum con-  
tingentia oblit præscientiæ divinæ, aut  
sit in causa, ut vel DEUS non præco-  
gnoscat futura contingentia, vel saltem  
non certò ac infallibiliter; nec divina  
præscientia tollat libertatem humanam,  
rerumque contingentiam, aut quoquam  
modo faciat, quo minus homo eâdem  
præsuppositâ, liber amplius sit in a-  
gendo, resque ab ipso peractæ sint con-  
tingentes; neque altera alteri ulla ratio-  
ne repugnet aut contradicat, quin ami-  
cè invicem quasi conspirent, & concor-  
dent; hoc ipsum evincit veritas utriuscq;  
nimirum præscientiæ Divinæ & liberta-  
tis humanæ, rerumque ab eadem pro-  
fectarum contingentia. Nam si huma-  
na libertas datur, & rerum ab eadem  
profectarum contingentia, & Divina ista-  
rum

rum præscientia, ultro sane consequitur,  
dari quoque mutuam inter præscien-  
tiam Divinam & libertatem humanam,  
rerumque contingentiam, concordiam,  
confessionem & harmoniam. Jam utique  
datur in homine libertas aliqua, per  
quam is agere quidlibet pro lubitu pos-  
sit, & ab agendo, si velit, etiam absti-  
nere. Primum enim ipsa mens atque  
ratio humana. ejusdemque vis intel-  
lectrix tam latè patens id haud obscu-  
rè infert atque arguit: tanta siquidem  
vis atque facultas intelligendi in homi-  
ne reperitur, ut is per eandem innume-  
ra planè, tum congrua sibi atque bona,  
tum discongrua atque mala seu noxia  
prospiciat; & in bonis, quidnam eorum  
alteri vel cæteris præstet, vel plus com-  
modi atque utilitatis habeat, & per  
quænam media unumquodque horum  
obtineri possit, exactè penetrat. Ne-  
mo autem non animadvertis, planè non  
homini tantam à natura tributam fore  
intelligendi vim, nisi ipse simul & vo-

luntate sibi à natura concessâ polleret ;  
quâ appetere bona & aversari mala, &  
libertate, qua bonum unum præ altero  
eligere ac prosequi, perque media ad-  
hibita sibi comparare valeret. Libertatis  
nostræ testis certissimus & assertor o-  
mni exceptione major est etiam nostra  
conscientia & sensus internus, quo, vi-  
delicet, unusquisque conscientius sibi est,  
certòque in se deprehendit ac experitur  
in suâ potestate esse, cogitatione ad hanc  
vel illam rem converti, eamque appre-  
hensionem appetere , aut non appetere,  
stare item vel sedere, deambulare po-  
tius in hanc quam in illam partem, lo-  
qui & tacere, loqui hoc vel illo idioma-  
te, uti manibus ad hoc vel illud nego-  
tium expediendum , & sic porrò. Quæ  
profectò res tam in aprico est, ut à ne-  
mine negari, aut in dubium vocari pos-  
sit, ne ab eo quidem, qui verbis id face-  
re præ summa dementia conetur ; qui  
veritatem ipso facto & interna animi  
convictione fatebitur ; ubi de quorun-  
dam

dam consilio tamdiu cruciatibus à nobis afficiatur, donec confiteatur, non minus in nostra potestate esse à cruciatu cessare, quam cruciatum porrò inferre.

### §. III.

**E**t stante asserto, hominem liberè nihil agere, sed omne quod agit ex necessitate, multa indè consequentur absurdia. Certè frustra tum erit omnis consultatio, quæ à nobis de quacunque re fulcipitur, utpote in eum finem à nobis instituta, ut ex iis, quæ facere æquè ac omittere poteramus, id peragendum eligatur, quod facere præ reliquis, pro occurrente circumstantia conveniebat; illo contra omisso, quod parum videbatur consultum, id quod verò fieri haud posse circa insitam vim, & agendi & actionem intermittendi, nec non agendi hoc vel illud, per se satis est evidens. Nullus item erit iste, à primordiis rerum indè usque receptus, omni-

mniūmq; sapientum quin & cæterorum  
 hominum, mente saltē non captorum  
 calculo approbatus inter homines regen-  
 di modus, qui per consilia ac præcepta,  
 per leges atque statuta, per admonitio-  
 nes ac dehortationes, per collaudationes  
 ac reprehensiones, per constitutiones  
 præmiorum ac pœnarū fieri convevit.  
 Quippe, cum nec præscribi ulla ratio-  
 ne cuiquam ad agendum possit, quod  
 agere non sit in ipsius potestate; nec in-  
 terdici, ad quod agendum ipse necessi-  
 tate teratur. Quibus absurdis, & istud  
 multò iis tetrius meritò potest adjicii,  
 scilicet, fore, ut si, cum peccat homo, aut  
 quidvis aliud agit, necessitate id faciat,  
 hanc ipsam, uti necessitatem agendi cæ-  
 tera, sic speciatim peccandi, non nisi à  
 DEO originitus sibi tributam habeat;  
 itaque DEUS & causa omnis peccati,  
 quod ab homine unquam committitur,  
 & istius vindex plane injustus existat;  
 & quæ hujus generis alia sunt indi-  
 gna, & rebus humanis pernitirosa.

vid,

vid. Clariss. Scheibl. Metaph. cap. 18.  
marg. 23.

### §. IV.

**O**stensâ sic veritate libertatis humanae, relinquitur porrò, dari res quasdam contingentes, seu aliquam rerum contingentiam, quod si enim homo liberè aliquid agit, hoc est ita, ut in potestate ipsius sit, etiam id non agere, quod quidem actu agit, locoque illius aut nihil, aut aliquid aliud agere; Consequens sanè est, ut quæ ita ab ipso peraguntur, (sive id fiat intra sive extra hominem, sive per instrumentum ab ipso diversum, sive absque eodem, sive per interventum causæ in agendo necessariæ, sive minus) contingentia sunt. Nomine enim *contingentie* intelligitur talis existendi ratio, quâ res ita est, ut per libertatem hominis, à quo proficiat, possit planè non esse; seu quâ ita existit, ut per potestatem potuerit etiam prorsus non fieri, atque adeò nec

B

ex-

existere: sicut ē contrario nomine *necessitatis* venit istiusmodi ratio existendi, quā res ita est, ut per rationem causæ, à quā proficiscitur, (puta, vel per naturam ad agendum determinatæ, vel aliunde per occultam quandam vim ad agendum quasi coactæ aut necessitatæ) non potest planè non esse. Verum hic notandum, non de cujusvis generis necessitate hic esse sermonem, sed de *necessitate absoluta seu consequentia*, uti appellant, item ineluctabili ac inevitabili, quā nempè aliquid per dictam causæ rationem, non potest non esse. Nam alias facile conceditur, per & propter præscientiam divinam necessariò fieri aliquando res præscitas, *necessitate scilicet hypothetica ac consequentia*, uti vocant, quā nempe eæ, posito, quod præscitæ sint, intuitu divinæ præcientiæ, quæ falli non potest, non possunt non esse; ita ut verum sit dicere in sensu compósito: Quod à DEO præscitum, quā præscitum, necessariò est futurum, si- qui-

quidem ista certitudo existendi ac infallibilitas, istaque hypothetica necessitas propriè loquendo, nihil aliud, quam veram rei existentiam aliquando tutum importat; minimè quidem ea ipsam rei contingentiam tollit, quin consistere cum ea quam maximè potest. Cont:  
Inst: Pract. Celeber. Wanochii, pag. 516.

## §. V.

**E**nucleatâ sic breviter existentiâ contingentium, divina eorundem præscientia nobis jam incumbit demonstranda. Ut ut scientia DEI secundum se sit unica & simplicissima, cum sit ipsa essentia divina; ratione tamen objectorum, quæ rationem possibilis tatis seu factibilitatis habent, dirimitur ea in naturalem, liberam, atque medium. Vocant nempè scientiam naturalem, quā DEUS merè possibiliā, ante omne liberā voluntatis decretum, ab æterno cognovit; Et dicitur naturalis: non quod per naturam DEO conveniat, aut quod à parte

rei est ipsa essentia divina, ita enim & cæteræ sibi non minus hanc vendicarent appellationem, sed quia omnem liberum voluntatis actum antecedit, & per eam DEUS necessariò & naturaliter cognoscit res omnes possibles. *Scientiam liberam* appellant, quâ post decretum suæ voluntatis determinatè cognovit omnes res futuras. Et dicitur libera, eò quod, quæ DEUS ceu futura per eam prævidet, potuisset etiam pro libertate sua non prævidere; quoniam si ea noluisset, etiam nunquam fuissent futura. *Medium* iterum dicunt, quâ DEUS conditionatè futura intelligit, & appellatur hæc *media*, sive per *negationem* sive per *participationem*: per *negationem* quidem, quod nec naturalis omnino sit nec libera; non naturalis, quia non mere possibilium est, sed quadam tenus futurorum; nec libera, quia non eorum est. quæ actu aliquando futura erunt, sed illorum potius, quæ in statu mere possibilitatis manent, nec unquam inde sunt

sunt emersura: per participationem verò, quod & cum naturali, & cum libera quodammodo conveniat; cum naturali, quatenus & ipsa eorum est, quæ revera in statu possibilitatis manent, nec unquam inde emergunt; cum libera autem, quatenus & illorum tamen est, quæ quandem futura sunt. Atque adeò *naturali scientia* DEUS intelligit, quæcunque DEUS producere quidem potest, nunquam tamen efficit, ut E: g. alterum pluresque mundos à se producibles. *Liberæ* verò *scientia* jam ab æterno prævidit, quicquid unquam in mundo actu evenit aut existit, sive ex necessitate aliquâ, sive ex arbitrio agentis. *Materia* autem *Scientiæ* id præcognoscit, quod actu quidem futurum non est, fuisse tamen omnino futurum, si hoc aut illud esset. E. g. Quid hic vel ille jam mortuus fuisse acturus, si ipsi superesse longius contigisset; quid acturus quisque nostrum fuisse, si alii vitæ generi se dedisset, quam in quo est constitu-

tus; quid responsi ab altero essem latu-  
rus, si eundem alloquerer, quod qui-  
dem intermitto. E quibus duæ poste-  
riores nomine præscientiæ ac prævisio-  
nis alias speciatim veniunt. Vid. Inst.  
Præct. Celeb: Wanochii pag. 518. & Cla.  
Mejeri Pneumat. part. special. Cap. 6.  
problem. 4.

## §. VI.

**P**rælibatâ sic varia scientiæ divinæ di-  
stinctione ratione objecti, quod habet  
rationem possibilis, disquirendum ul-  
terius, num futura contingentia cadant  
sub scientiam divinam, quod negant  
Calviniani. Imo omniscius est DEUS:  
ita ut non tantum cognoscat præsentia,  
præterita & futura necessaria, sed & ea  
quæ sunt contingentia, possibilia futura  
futuritione, ( sit venia verbo ) tam hy-  
potheticâ, quam absolutâ. De præsen-  
tibus, quin DEUS ea cognoscat, est ex-  
tra omnem dubitationis aleam. De præ-  
teritis quoque idem luculentissimè pa-  
tet,

tet, ex absoluta DEI immutabilitate; ut-pote quæ nequaquam in ipso admittit oblivionem eorum, quæ cum præsen-tia olim essent, necessariò eidem erant cognita. Nec obstat, quod DEUS quæ-dam obliuisci dicatur, id enim non *af-fecti*ve, sed *effecti*ve, est intelligendum. Nec etiam de futuris necessariis ulla poterit esse dubitatio, quippe DEUS mundum hunc creando, ita ordinavit naturam universam, ut quodlibet in ea agens, ad commodum alterius, & omnia conjunctim ad communem totius universi salutem, constanter agerent. Id quod DEUS certè non potuisset fa-cere, nisi cum præcognitione eorum, quæ quæque agentia creata erant actu-ra. Quod denique attinet ad futura contingentia, etiam ea præcognosci à DEO, arguit infinita divini intellectus perfectio, quo gaudet per infinitatem suæ essentiæ. Neque DEUS posset ritè fungi mundi hujus regimine, nisi quod futurum in contingentibus esset, exactè habe.

haberet perspectum; quoniam certè præcipua hujus regiminis pars in eo absolvitur, ut quæque agentia, ac libera præsertim ad finem aliquem communem salutaremque dirigat. Nec obstat decantatum illud Aristotelis effatum: *Contingentium non est determinata veritas.* potest enim id commodissime explicari citra præjudicium sententiæ sanioris. Nam futura contingentia comparantur aut ad intellectum divinum, aut ad intellectum hominum, aut ad suas caulas. Non est eorum determinata veritas respectu intellectus humani, cum is *disjunctivè* ejusmodi propositiones concipiat. Nec in comparatione ad suas caulas, quæ ut contingenter agunt, ita possent agere vel non agere. At si compares illa cum intellectu divino, latitudine sua quodvis scibile comprehendente, & perspicaciâ sua interna, etiam ea, quæ minimæ sunt entitatis penetrante, non potest non respectu illius contingentium quoque determinata esse veritas.

sitas. Vid. Colleg. Theol. Excell. Joh.  
Ad. Osiand. part. I. p. 291. & Inst. Pract.  
Celeb. Wannochii pag. 521.

## §. VII.

**N**ec tamen fundatur certitudo præscientiæ futurorum contingentium in coexistentia creaturarum reali cum essentia divina, ut volunt quidam ex Pontificiis, qui sequuntur Thomam; Nam sicut futura non coexistunt DEO, quâ esse suum reale, evidens sanè est, nec prævideri illa ex istiusmodi sui reali in æternitate præsentia; si enim cuncta DEO in æternitate essent *realiter* præsentia, tum simul essent & non essent; essent enim, quia in æternitate jam ab æterno essent præsentia; non essent autem, quia tanquam futura detum aliquando essent natura suum esse, per sui productionem. Minime tamen negatur, futurum, quod à DEO cognoscitur, esse ipsi præsens, præstantialitate idem sensu objectivum, uti vocant, siquidem tam clarè

ac evidenter à DEO prospicitur; ac si  
actu eidem jam adesset productum, quia  
imò incomparabiliter certius & exa-  
ctius, quam cerni alias ab hominibus  
solet, quæ in ipsorum conspectu coram  
sunt constituta. Neque fundatur præ-  
scientia divina & certitudo futurorum  
in prævio decreto divino abseluto,  
ex mente Calvinianorum, qui putant  
DEUM ideò præscire res futuras, quia  
antecedenter ad scientiam ex volunta-  
tis libertate decreverit illas esse futuras.  
Si enim præcognosceret DEUS futura  
in decreto suæ voluntatis, tum etiam  
præcognosceret malum morale, ex abso-  
luto decreto suæ voluntatis, adeoque  
sic esset quoque causa mali moralis,  
quod impium est & blasphemum. Imò  
intellectio divina eâ ratione non esset  
expers discursus, quoniam ita decretum  
ipsi foret principium illativum & cognoscen-  
di futura, quod scilicet DEUS ea intelli-  
geret futura, quæ se aliquando decre-  
visse, intra se sentiret. Sed fundamen-  
tum

tum præscientiæ divinæ, quâ præscit futura contingentia, est infinita divini intellectus perspicacia. Nec necesse est, ut causa proxima transitionis possibilium in conditionem futurorum sit æterna, sufficit prænotionem illius causæ esse æternam, quâ, quod possibile est, præsciatis DEUS certo esse futurum, vel non futurum, positis vel non positis hypothesis. Vid. Subtil. Joh. Osiandr. loc. cit. pag. 294.

## §. VIII.

**P**ræmissâ sic, quâ potuit brevitate, evolutione existentiæ libertatis humanæ, & inde profluentis contingentia rerum; item exposita veritate præscientiæ divinæ infallibili, circa futura contingentia; jam erit nobis disquirendum, de mutua earundem concordia, quæ etiam nervus est hujusce dissertatiunculæ, & scopus nostri instituti. Adeoque pro ostenda tali, inter præscientiam divinam & res contingentes convenientia, argu-

Cæmenta-

mentamur primò à negatione causæ ne-  
cessitatem agendi inferentis, vel etiam  
à negatione causæ obstaculum præscien-  
tiæ divinæ ponentis. Etenim, si non  
concordaret divina præscientia cum li-  
bertate humanâ ac contingentia rerum,  
oporteret aut præscientiam divinam ho-  
mini inferre indeclinabilem agendi ne-  
cessitatem, & rebus ab ipso profectis ab-  
solutam imponere existendi necessitatem;  
aut ipsam libertatem humanam rerum-  
que contingentiam obstat, quo minus  
DEUS ipſas res contingentes futuras  
certo prospiceret. Nec enim dici pro-  
fectò potest, in quonam confisteret alias  
ista præscientiæ divinæ cum libertate  
humana rerumque contingentia discor-  
dia, nisi quod vel divina præscientia as-  
serta inferret hominibus indeclinabilem  
agendi necessitatem, ipsasque illas res,  
quas ab hominibus productas aliqui di-  
cimus contingentes, faceret necessarias;  
vel libertas humana rerumque contingen-  
tia obstat, quo minus DEUS ipſas  
res

res contingentes prævideret. Atque si jam præscientia divina inferret homini absolutam ac indeclinabilem quandam agendi necessitatem, quâ scilicet homo non posset omnino non agere, quod agit, nec eo tempore, quo quid agit, aliud agere, tum hoc ipsum faceret, ut esset atque maneret nihilominus in homine aliqua libertas agendi; vel ut nulla inesset, at verò repugnat, dari in homine aliquam agendi libertatem, & tamen eundem aliquâ indeclinabili necessitate agere, quod agit; quippe cum ita & posset non agere, quod agit, pro suâ libertate, & non posset non agere, quod agit, per indeclinabilem illam agendi necessitatem, id quod contradictorium. Neque verò facit præscientia divina, ut nulla homini insit libertas: quia ea est actus DEI immanens, minimeque transiens, & respectu objecti ad quod terminatur, mera denominatio extrinseca, quæ proinde extra suum subjectum nullam exercet efficaciam, ut

vel tollat vel destruat quidquam, quod insit, vel quò minus insit efficiat; tum & præcipue, quia alioqui faceret quoque ut nec DEO libertas inesset; cum non minus ille, quid ipse fuerit facturus, quam quid homines, prævideat ac cognoscat, idque eodem prorsus intuitu ac cognoscendi actu. Ne urgeam, quod sic quoque humana scientia hanc vim haberet, & rebus prælicitis quoque imponeret necessitatem; Id quod quidem nemo dixerit: nec enim, cum, Exempli gratia, Astrologus Eclipsin futuram prævidet, eidem exinde aliqua necessitas accidit: Nec cum Medicus mortem ægrotantis ex minimè obscuris indiciis providet ac prædicit, propterea moriendo necessitatem ipsi imponit, atque ita porrò juxta aliarum rerum prælicitarum seriem.

## 6. IX.

Porrò, concessò hoc, quod nimis rara præscientia DEI inferat necessitatem rebus, tum sane præscientia divina foret

get causa earum, si non proxima, certè  
tamen remota, proximam ad agendum  
agens aut necessitans. At præscientiam  
DEI non esse causam rerum, con-  
stat facilè vel ex scientiæ natura, utpote  
quæ tanquam actus immanens, intra  
ipsum DEUM terminatur, immò suum  
objectum, circa quod versatur, suppo-  
nit, & non potest ferri in res futuras  
contingentes, ipsasque prævidendo at-  
tingere, nisi illæ essent futuræ. Quem-  
admodum quævis alia scientia; suum  
objectum semper presupponit. Quin  
immò si præscientia divina esset causa re-  
rum futurarum ceu præscitarum, sic  
etiam omnium malorum & facinorum,  
quæ in mundo unquam eveniunt, atque  
olim fuerunt futura, causa effectrix fue-  
rit dicenda, quod sine summa blasphem-  
ia in sanctissimum DEUM dici non  
potest. Taceo, quod præscientia divi-  
na rerumque futurarum prænotio, jam  
ab æterno in DEO extiterit; quod si igi-  
cus causa rerum futurarum esset, eaque  
neces-

necessaria quidem, à quâ non possint non res præscitæ produci, oporteret sanè iplas res futuras jam ab æterno à divina præscientia extitisse productas, adeoque nec fuisse unquam futuras, & conle-  
quenter nec præscitas: quæ quidem o-  
mnia contra ipsam veritatem, & in sese  
etiam sunt repugnantia. Sed in hoc di-  
scursu innuimus causam essendi seu produ-  
civam, à qua aliquid habet suum esse, &  
producitur; minimè verò intelligimus  
heic causam illativam seu cognoscendi, ex qua  
aliquid cognoscitur vel infertur. facile  
enim concedimus præscientiam divinam  
esse causam cognoscendi seu illativam rerum  
præscitarum, qua nempè in DEO posi-  
ta, necesse est quoque res futuras extra  
DEUM poni. Conf. Excell. Joh. Ad. Osi.  
Colleg. Theol. part. 3. p. 32. & Inst. Pract.  
Celeb. Wan. pag. 524.

## §. X.

**E**tiam nihil à parte libertatis huma-  
næ & contingentiae rerum esse ob-  
staculi, quò minus possint consistere

cum

cum præscientia divina, vel à DEO prævideri, arguit intellectus divini summa & infinita perfectio, vi cuius DEUS non solum hominem futurum, ipsumque liberam voluntatem agendi habiturum, citra omnem hæsitationem prospicit, sed & contingentiam à libertate humana profectam, extra omnem obscuritatem præcognoscit, prævulnus etiam non minus, si humana voluntas in partem oppositam actumque alium se esset determinatura. Nec obstat, futura contingentia non præsciri à DEO, id est quod antequam fiant, non habent in causis suis determinationem ad esse, vel ad non esse, adeoque sic non posse ut determinate vera præsciri etiam à DEO; nam quod non est verum, non est scibile, & quod non est determinatè verum, etiam non potest sciri ut determinatè verum, id quod concessit Cicero libro de Divinitate. Nam determinatio veritatis, in propositione de futuro contingente non est sumenda ex eo, quod causa, à quâ prodenturus

D

est

est talis effectus, si jam determinata ad illum in suā virtute & facultate, ab eo tempore vel instantie, ex quo verum est dicere, illum effectum esse futurum, sed ex eo solum, quod aliquando talis causa in actione sua determinanda sit ad liberum effectum: nam hoc solum enunciatur per illam propositionem, & non quod causa ex se, & ex suā virtute sit jam determinata ad talem effectum. Quapropter cum absoluta contingencia horum effectuum stare posset determinata veritas vel falsitas eorum propositionum; in quibus illi futuri esse nunciantur, quia haec veritas determinata non repugnat contingentiae, magis quam in propositione de praesenti. Quia licet effectus possit fieri, & non fieri, ex quo habet, quod sit contingens, ramen de facto alteriusrum accidet, & inde habet, quod sit futurum contingens determinatè. Hinc vero ulterius fit, non omnino repugnare, ut hi effectus liberi antequam sint, certo præsciri possint, eà saltem scientiâ, qua propter suam infinitatem omnem veritatem omneque objectum scibile comprehendit ac insuetur, eo modo, quo est, adeoque sic turpera

errabit errorem Cicero, negans DEO præscientiam omnium contingentium futurorum. quemadmodum differit Excell. Svarezius disp. 19. Sect. II. m. 10. Tum, si futura contingentia non possent prævideri a DEO, certè destitueretur DEUS perfectione simpliciter tali, essetque in potestate passiva ad aliquid intelligendum, quod actu non intelligeret: quin & actu ipso mutaretur in sua scientia, qui, quæ nescivisset olim ceu futura adhuc, dum actu evenirent, ignorare amplius haud posset, atque adeò tali intellecione uteretur, quæ non ab æterno esset, sed in tempore demum cum re ipsa intellecta inciperet; quæque ut distincta realiter ab ejus essentia esset, sic realem cum ipsa compositionem faceret, ac denique nec DEUS majorem perfectionem haberet, quam homini nempe suo effectui contulisset.

## §. II.

**P**ræscientiam divinam ritè posse consistere cum libertate humana & re-

rum contingentia, etiam est argumen-  
 to: negatio mutuae inter ipsas contradic-  
 tionis. Nam si non concordaret divi-  
 na præscientia atque libertas humana,  
 rerumque ab eadem profectarum con-  
 tingentia, oporteret sanè has sibi con-  
 tradicere. Nec enim dici potest (per  
 hactenus disputata) in quonam consistat  
 tandem ista discordia atque repugnantia  
 inter præscientiam divinam atque liber-  
 tatem humanam rerumque contingen-  
 tiā, nisi quod hæ sibi mutuo contra-  
 dicant: Sed nulla hic contradic̄tio, vel  
 minimum ejus vestigium apparet, sive  
 ipsos terminos, rem propositam expri-  
 mentes, per se sumptos spētes, sive rem  
 terminis expressam. Quippe termini hic  
 occurrentes: *Præscientia divina, libertas hu-  
 mana, & rerum contingentia*, singuli sanè  
 positivi sunt, nullusque eorum negati-  
 vus per particulam Non præfixam fa-  
 c̄tus, quamlibet constat alias esse oportere  
 alterutrum terminorum contradic̄torio-  
 rum; tantumque abest, ut contradic̄to-

rii sint, ut ne quidem oppositi sint, sed tantum disparati. Et quod ipsam rem attinet: quænam erit contradic<sup>t</sup>io? Si dicatur, & hominem esse in agendo liberum, & DEUM esse futurorum præscium; vel, & dari futura contingentia, & DEUM esse futurorum contingentium præscium. Non certè differunt hæ propositiones, ut affirmans & negans, sine quo tamen nulla est contradic<sup>t</sup>io. Quin imo tantum abest, ut propositiones istæ sint contradictoriæ, ut ne quidem in oppositarum; sed potius subordinatarum consistant numero. Sed hic manum de tabula temporis angustia trahit. Sit itaque,

## MEDIATORI SEMPITERNA LAUS!

Cl-

Clarissime Dn. CANDIDATE,  
Præceptor honorande.

**A**nimi tui sinceritatem, benevolentiamq; dilectissime Præceptor, jam quadriennium, & quod excurrit, mihi præstitam, omni cogitatione cum peracto, aliam tibi gratiam non sum potis referre, quam ut gratulationem hanc, pro tenuitate ingenii mei, minus concinnè conscriptam, tibi ex animo apponere velim; gratulor ergo tibi lauream, quæ tibi in præmium studiorum, queis indefessus incumbebas, porrigitur. Cumquemeum non sit, tuos in studiis profectus eximios commendare, & encomiis celebrare, istud aliis relinquo: hoc unice tamen, ex intimis cordis recessibus voveo, DEUS tantos tamque felices successus tibi perpetuos esse, iisquæ ex alto benedicere velit, ut votis amicorum tuorum satisfacere utileque ecclesiæ organon evadere possis. Quod supereft, Deum devotè orabo, ut te sanctissimo suo regat spiritu, omniq; benedictione cumulet, quò defunctus, quos Ecclesiæ ejus debes laboribus sacris, triumphanti Angelorum choro tandem associeris. ita exoptat qui te constanter ac indefessè amat.

ERICUS H. GottMan

Borg. Nyl

Viro - Juveni

*Eruditionis gloriâ virtutumque decentiad  
conspicuo,*

DN. MATTHIÆ LIMNANDRO,

San: Philos. Candidato dignissimo,  
Præceptoris suo jugiter colendo sincereq;  
amando, pro Laureâ Magisterii inge-  
niosissimè differenti.

Miles ut intrepidus, dum castra cruenta  
sequitur, omnes molestias laboresq; immò  
& pericula, quæ ipsi sunt subeunda, nihil pen-  
dit, dum modo victoriam reportet; sic quoque  
tu, Præceptor amande, difficultates omnes cir-  
ca artium liberalium scientias comparandas  
superasti; quare jam tibi laudem, honoresque  
queis immines reportant. O felix qui sic stu-  
dia pertractat sua! Verum enim verò, cum  
mihi antea gaudium ex hac re conceptum de-  
clarare non licuerit; gratulor mihi, quod jam  
tandem occasionem idem faciendi natus sim,  
quam mihi præbuit hæc tua, doctissima, de  
Harmoniâ Præscientiæ DEI cum contin-  
gentia rerum, dissertatio: quam si nunc ex

MA-

manibus dimitterem, debiti mei immemor,  
minus rectè facerem. Gratulor ergò ex animo  
tibi, Deumque ardentissimis & assiduis  
compellabo precibus, dignetur tibi Char: Präce-  
pior suā benedictione adesse, ut in posterum  
codem successu ac buc usque vitam possis tran-  
sigere tuam, ut Regi & Patriæ diu servire queas.  
Præterea nunc te ad laureas & honores quos  
virtus & industria tua meruerunt, excipien-  
dos, prepara. Hoc apposuit, qui te amore mi-  
nime fucata perpetuò complectetur.

Clarissimi Dn. Candidati,  
& Char. Präceptoris

Observantissimus

CAROLUS P. SERLACHIUS

Borg. Nyl.

